

## 24.

Decreta Concilii Mexicani Provincialis III expresse  
a Concilio Mexicano V confirmata.

## DE PRAEDICATIONE VERBI DEI.

## § I.

*Tam Episcopi quam Parochi verbum Dei per se ipsos praed-  
icent, ex Tridentini praescripto, nisi legitimo sint impedi-  
mento obnoxii.*

Praecipuum Episcoporum munus est docere Populum Evan-  
gelium Dei, quos tanquam Apostolorum successores, ea maxime  
cura exercere debet, ut recte, pureque tractent verbum veritatis,  
ac formam habeant sanorum verborum quibus plebes sibi com-  
missae Doctrina salutari, ita pascantur, ut Christo Pastori bono  
semper inhaereant. Quod optime perpendens Sacrosanctum Tri-  
dentinum Concilium statuit, ac decrevit, omnes Episcopos, et  
alios Ecclesiarum Praelatos teneri, per se ipsos, si legitime im-  
pediti non fuerint, ad praedicandum Evangelium Dei, si vero  
legitime impediri contigerit, idoneos viros assumere debeant,  
ad praedicationis munus salubriter exequendum. Quamobrem  
haec Provincialis Synodus, auctoritati Concilii Tridentini, et ve-  
terum Patrum innixa, Episcopos et alios Provinciae Mexicanae  
Praelatos in Domino cohortatur, ut in hanc curam toto pectore  
incumbant, ac Greges sibi commissos, ipsimet, praesertim in  
Ecclesia sua, verbo Dei pascant. Sin autem se interdum vere  
impeditos cognoverint, per viros idoneos ex praescripto eiusdem  
Concilii sibi eligendos, hoc munus studiosissime Populo praestent.

## § II.

*Parochi verbum Dei annuncient omnibus Dominicis et festis  
diebus.*

Parochi vero et Curati, qui in dispensando subditis verbo  
Dei, Coadiutores Episcoporum sunt, iuxta Concilii Tridentini De-  
cretum, Dominicis saltem diebus, et festis sollemnibus oves sibi  
commissas, pro earum sensu et intelligentia salutaribus verbis  
pascant, docendo ea, quae ad salutem sunt necessaria, eis itidem  
annunciando, quae vitia declinare, quasve sectari virtutes oporteat,  
ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam conse-  
qui valeant. Id vero Parochi et Curati praedicti per se ipsos  
praestare debeant; sin minus ab ordinario compellantur, quod  
si legitime impediti fuerint, summo studio invigilent, ne desint  
Ministri idonei ad id muneris adimplendum; ut autem praedi-  
cationis usus perpetuo conservetur, et in dies magis, atque magis,  
cum fructu animarum accrescat, iis, qui praedicandi officio fun-  
guntur, regulas proxime annotatas haec Sancta Synodus obser-  
vandas proponit.

## § III.

*Concionatores Scripturam Sacram iuxta sensum Ecclesiae in-  
terpretentur.*

Praedicatores verbi Dei iuxta Concilii Tridentini praeceptum,  
Scripturam Sacram interpretentur eo sensu, quem Sancta Mater  
Ecclesia, et unanimis Sanctorum Patrum consensus comprobavit,  
nec prudentiae suae innixi Scripturae vim faciant, ad singulares,  
novos et pro suo arbitratu excogitados sensus eam detorquendo,  
nec quidquam ab Ecclesiam, aut a probatis Ecclesiae Docto-  
ribus alienum proferant.

## § IV.

*Semper ex Evangelio Mystrium aliquod exponant.*

Mysterium aliquod Fidei semper exponant ex aliquo Evangelii loco, argumento desumpto, ut auditores frequenter Dei verbum audiendo facile percipiant, quae sibi ad salutem maxime sunt necessaria.

## § V.

*Auditorum captui sese accommodent.*

Difficilibus, et inanibus quaestionibus prorsus abstineant, ne se ipsos ostentare magis, quam Christum praedicare videantur, sed ad ea, quae pro cuiusque gradu, qualitate, conditione magis expediunt, auditores exhortantur, eosque facilioribus, et convenientioribus mediis ad haec consequenda studiosissime instituantur.

## § VI.

*Quomodo Episcopos, et Magistratus admonere debeant.*

Episcopos, aliosve Praelatos et Magistratus civiles cum offensione auditorum, ne acerbe obiurgent, sed si quid in illis dignum reprehensione invenerint, privatim potius eos admoneant. Populum vero, iuxta dictum Apostoli, praepositis eius etiam discolis, obedire cohortentur.

## § VII.

*Cautio et charitas servetur in reprehendendo.*

In reprehendis vitiis cauti sint, nec quemquam tacite, aut nominatim insectentur, sed potius ita se gerant, ut pietatis et charitatis solum studio, non peculiari alicuius odio adductos, id facere omnes intelligant.

## § VIII.

*Doctrinam confirmant exemplo bonae vitae.*

Denique doctrina, quam docent, ut efficacior sit, non minus vita et exemplo, quam sermone comprobetur, ne quod verbis asserunt, moribus impugnent, et dum aliis praedicant, ipsi reprobi efficiantur.

*N. B.* Confirmatio horum Decretorum habetur in Conc. Mex. Provinciali V, nn. 21, 32 et 33.

*Pro Episcopo defuncto a singulis Sacerdotibus Missa celebretur.*

Quia vero rationi maxime consonum est ut subditi superiores amore prosequantur, praecepit haec Synodus, ut defuncto aliquo Episcopo, omnes illius Dioecesis Sacerdotes, intra quatuor dies a die notitiae, pro eo Missam unam de defuncto Episcopo celebrare teneantur, intra octo vero in singulis Ecclesiis Episcopatus Missa una sollemnis celebretur cum Responsorio, idque sine pompa, et sine Ecclesiarum sumptibus fiat.

*N. B.* Hoc decretum confirmatum est in Conc. Mex. Prov. V, n. 212.

---

DE EXAMINE ORDINIBUS PRAEMITTENDO.

## § I.

*Episcopi in Dioecesana Synodo Examinatores eligant.*

Ut ordinandorum, et eorum, quibus animarum cura credenda est, quibus polleant meritis, quamve ad spiritualia munera obeunda idonei sint, facilius Episcopis notum fiat, praecipit haec Synodus Mexicanae Provinciae Episcopis, ut in Synodo Dioecesana, quae primo quoque tempore celebrabitur, tres saltem

eligant et deputent Examinatores, qui una cum Episcopo, vel eius Vicario, si Episcopus fuerit impeditus, de scientia ordinandorum periculum faciant, ante Synodum autem habitam, per suos Episcopi id etiam praestent. Examinatores vero deputati, in suo munere obeundo, hanc a Synodo praescriptam formam observent.

## § II.

*Iuramentum ab Examinatoribus praestandum.*

Examinatores in Synodo Dioecesano constituti, iureiurando se obstringant de fidelitate servanda in suo suscepto munere, de vere, et sincere manifestanda eorum comperta scientia, de quibus ipsi experimentum sumpserit, amore, odio, aliove humano effectu posthabitis. Examini vero causa, nihil quidquam pecuniae, praemii, alicuiusve doni, aut quid simile accipiant.

## § III.

*Examinandus Episcopo denuntietur, qui aliquid Examinatoribus donaverit, aut etiam promiserit.*

Si examinandorum quisquam per se, vel interpositam personam dona, favoresve Examinatori promiserit, Episcopo statim denuntietur, et eundem ad Ordines pro illa vice inhabilem decernat.

## § IV.

*Ne Examinatores quid interrogaturi sint, antea revelent, neque intersint examini cognatorum suorum.*

Ea de quibus subituri examen interrogandi sunt, per se, vel per alios, directe aut indirecte, ne revelent: si quis eorum qui examinandi sunt, consanguineus, affinis, familiaris, familiae adiunctus alicuius examinantis fuerit, examinans ille ne praesens quidem adsit, sed id Episcopo notum faciat, ut alius in eius locum vocetur.

## § V.

*Suam sententiam nemini revelent.*

Ne sententiam, quam in approbando, vel reprobando dicturi sunt ulli manifestent, sub poenis Excommunicationis maioris ipso iure.

## § VI.

*Tituli praecedentium Ordinum exhibeantur, ante quam quis ad Ordines subsequentes admittatur.*

Ne quemquam ad examen subeundum admittant, nisi prius suscepti Ordinis titulum ab Episcopo, et Notario subscriptum, sigillatumque exhibuerit.

## § VII.

*Hactenus dicta Examinatores praestent in concursibus ad beneficia.*

Quae omnia sub eisdem iuramento et censura, tunc quoque servare teneantur, cum de Episcopi mandato, aliquos ad beneficia obtinenda examinare contigerit.

*N. B.* Haec Decreta confirmata sunt in Conc. Mex. Prov. V, n. 632.